

pestilentiam immisero super terram illam, & effu-  
dero indignationem meam super eam in sanguine, ut  
auferam ex ea hominem. Et Noë, & Daniel, & Iob  
fuerunt in medio eius: viuo ego dicit Dominus Deus,  
quia filium, & filiam non liberabunt. Compone  
hæc cum his, quæ narrantur Actor. 9. num. 40.  
Quod vnus tantum Petrus orans Thabitam de-  
mortuam suis orationibus in vitam reuocat. Pe-  
trus ponens genua orauit, & conuersus ad corpus di-  
xit, Thabita surge: at illa aperuit oculos suos. Cur  
tres v.ri illi sanctissimi suis orationibus pro filiis  
non exaudiuntur; at verò Petrus pro vna mulie-  
re defuncta, & sibi deuota deprecans exauditur?  
De Thabita dicitur in textu: *Erat plena operibus  
bonis, & elemosynis, quas faciebat*, ibidem num. 36.  
In illis tribus vitis apud Ezechielem dabatur pa-  
trocinium cum orationibus tantum; at verò in  
Petro cum oratione simul coniuncta erat distri-  
butio elemosynatū in pauperes, ex qua tam effi-  
cax fuit patrocinium, vt statim optata impetra-  
ret, & mulieri vitam restitueret. Opportunè rem  
explicat D. Chrysoctomus in Psalm. 48. *Audi, ait,  
quid dicat Propheta: si steterit Noë, & Iob, & Da-  
niel, filios suos, & filias suas non liberabunt. Quan-  
tum luxit Samuel, & Saulem non eripuit? Quar-  
tum precatus est Hieremias, & Iudæos nihil inuit.  
Quid ergo; summe superuacua Sanctorum preces?  
Nequaquam, sed magnas vires habent, quando tu  
quoque eis auxilium iuleris. Ita etiam Petrus susci-  
pauit Thabitam, non solum oratione, sed etiam illius  
elemosyna. Ecce preces sine elemosynis non im-  
petrant effectum, maxime verò si ab ipsis elee-  
mosynis habent auxilium.*

QUESTIO XV.

Quare mandans Dominus facere elemosy-  
nas pauperibus, addidit: Et cum  
defeceritis recipient vos?

95. **E**XPENDO verbum, cum defeceritis; hoc est,  
vt dixi in expositione cum vita, ac officio  
functi fueritis, ex pauperum orationibus ob elee-  
mosynas datas habeatis auxilium, & præsidium  
in hora mortis, in tempore iudicij, ac receptione  
æternæ vitæ. Ait Ecclesiast. 7. num. 13. *Sicut enim  
protegit sapientia, sic protegit pecunia. Quæ verba  
sic legit Pataphraſtes Chaldaic. Quemadmodum  
custoditur vir in umbra sapientia: sic custoditur in  
umbra argenti tempore, qui facit ex eo elemosynam.*  
Sicut enim vera sapientia in omni pressura facit  
declinare omne malum, sic & pecunia erogata in  
pauperes omnia iacula diuinæ indignationis de-  
pellit. Pro quo eleganter ait D. Gregor. Nazian-  
zenus orat. 17. *Ad necessaria tempora superna bene-  
uolentia tibi præsidium para, misericordiam Deo  
commoda, neminem vnquam Deo aliquid prius ob-  
tulisse pœnituit: in beneficio reddendo copiosus est.*  
Singula verba pondera, *Ad necessaria tempora.*  
Nempe in hora mortis, die iudicij. *Misericor-  
diam Deo commoda, qui enim misericordiam im-  
pendit pauperi, misericordiam Deo commodat,*  
quasi ex iure videtur agere cum Deo, vt illi æter-  
nam gloriam reddat.

96. **A**d nostram quæſtionem respondet D. Ber-  
nard. in Declamationibus: *Facite vobis amicos de  
mammona iniquitatis, ac si manifestus dicat: Va  
vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram.*

Attamen vnus iam superesse videtur, communicate  
eam pauperibus, quorum est regnum Dei, vt cum  
venerit hora eorum, reminiscantur, & deficientes  
vos recipiant in tabernacula sua, & consolationem  
suam, quam modo prudenter expectant, dum ve-  
stram ipsis præripitis, misericorditer communicent  
desolatis. Preme verbum, cum defeceritis; id est  
cum aliter potentes, ac valentes non estis ad hanc  
urbem cælestem obtinendam. Veluti qui ciuita-  
tem munitissimam expugnat, cum eam nullo mo-  
do valeat expugnare, nec ad illam habere ingres-  
sum, arte, ac industria vitur; milites seu custodes  
donis, ac datis pecuniis corrumpit, vt illi aditus  
pateat, ciuitas cælestis est munita, & veluti  
clausa diuitibus, vt ipse D. Bernard. citato loco  
ponderat, expendens illud Christi Domini,  
Matth. 19. *Facilius est camelum per foramen acus  
transire, quam diuitem intrare in regnum calorum.*  
Cum ergo vos defeceritis; non valentes, nec po-  
tentes hanc urbem cælestem intrare, erogatis pe-  
cuniis arte, & industria vtimini, porrigite elee-  
mosynas pauperibus, vt ipsi suis orationibus, ac  
meritis vos adiuuent, manus præbeant, vt cæli ia-  
nna nobis pateat. Attamen vnus iam superesse  
videtur, communicate eam pauperibus, vt deficientes  
vos recipiant.

Ait Salomon Proverb. 10. num. 15. *Substantia  
diuitis, vrbis fortitudinis eius.* Ac si dicat, tota for-  
titudine diuitis ad oppugnandam cælestem ciuita-  
tem, quamuis fortissimam, eius diuitiarum sub-  
stantia est in pauperes distusa. Ad quod etiam  
tendit id, quod ipse sapiens ait, Proverb. 13. n. 8.  
*Redemptio anime viri, diuitia eius.* Ac si dicat:  
Anima diuitis, suis opibus tenetur veluti capta  
nexibus suarum iniquitatum, à quibus elemosy-  
nis expensis in pauperes liberatur. Vtrumque lo-  
cum dilucidat D. Ambrosius epistol. ad Vercel-  
lens. Ecclesiam: *Neque, ait, ipsa diuitia vituperabi-  
les. Redemptio anime viri, diuitia eius. Quo-  
niam qui pauperi donat, redimit animam suam. Est  
ergo his materialibus diuitiis virtuti locus. Quasi  
Gubernatores estis in magno mari, si quis ergo bene  
gubernat suum nauigium, citò transit fretum, vt per-  
ueniat ad portum; qui autem nescit regere suum  
censum, onere suo mergitur, ideo scriptum est: Pos-  
sessio diuitum ciuitas firma. Quæ est ista, nisi Hie-  
rusalem, quæ in celo est? Bona hæc possessio, quæ fru-  
ctus perpetuos facit.*

Ait Ecclesiasticus 29. num. 15. *Conclude elee-  
mosynam in corde pauperis, & super scutum potentis,  
& super lanceam, aduersus inimicum tuum pugna-  
bit.* Optatus Mileutan. lib. 3. contra Donat. *Con-  
clude elemosynam, legit, absconde panem.* Illud verò  
in corde pauperis. Græcus: *In cellis tuis.* Quod  
enim pauperi datur tibi referuatur. In rem no-  
stram. *Super scutum potentis pugnabit.* Quodnam  
est scutum potentis? nubes nempe, quam Deus  
tanquam scutum, cum iratus est, opponit aduer-  
sus peccatores, ne eorum preces tranſeant ad  
eum, quod cum multis lachrymis dicebat Iere-  
mias, Thren. 3. num. 44. *Opposui tibi nubem tibi, ne  
tranſeat oratio.* Fortè ergo hoc scutum, quo ca-  
lum est veluti clausum, ac munitum, ne oratio pœ-  
netret, elemosyna tamen, vt irrefragabile telum  
illud valet perfringere, vt ad Dei thronum deue-  
niat, ac vt omnia impetret, & obtineat. D. Chry-  
soctomus 9. de Pœnitentia: *Magna res elemosy-  
na, ait, præcedit ærem, tranſit Lunam, Solis radios  
cædit, ad ipsum venit calorum culmen, ipsos pertranſ-  
iens calos & Angelorum populos decurrens, Archang-  
gelorumq;*

Elemosyna  
efficax ars vt  
calum oppu-  
gnes, & ad  
illud ingre-  
diaris.

Marth. 19.

97.  
Prou. 10.

Prou. 13.

Elemosyna  
redimit ani-  
mā ab omni  
malo.  
Ambros.

98.  
Eccles. 29.

Opeatus.

Græcus.

Tfren. 3.

Elemosyna  
efficacius  
quàm oratio  
penetrat ca-  
lum  
Chrysoct.

gelorumq; choros, & omnes superiores potestates ipsi  
assistit regali throno, quod ex ipsa disce Scriptura.  
Cornel. elemosynæ, inquit, & orationes tuæ  
ascenderunt in conspectu Dei.

Cornel.



CAPVT XXIX.

Diues epulo, & Lazarus.

Luc. 16. n. 19. Homo quidam erat diues,  
qui induebatur purpura,  
& bysso: & epulabatur  
quotidie splendide.

VERSIONES.

Syriacus. Porro vir quidam diues  
erat, & amictebatur bys-  
so, & purpura: & quo-  
tidie se oblectabat ma-  
gnificè.

Clemens Alex. Homo quidam erat valdè  
diues.

Arabicus. Induebatur purpura, &  
bysso: & iucundè vitam  
ducebat quotidie, &  
splendidè viuebat.

Græcus. Gaudebat quotidie, & hi-  
laris erat.

EXPOSITIO I.

**N**OTAT D. Chrysoctom. homil.  
de Diuite, & Lazaro, quem se-  
quuntur communiter Recentio-  
res, Maldonat. Barrad. Cornel. Hæc  
spectate ad ea, quæ superius de  
exhortatione elemosynæ dicta sunt à Christo  
Domino hoc cap. 16. D. Luc. num. 9. *Facite vobis  
amicos de Mammona iniquitatis.* Et num. 13. *Non  
potestis Deo seruire, & Mammona.* Quare im-  
mediatè hæc omnia hoc horrendo exemplo con-  
firmat, obliuiscens ante oculos, diuitem tartareis  
cruciatum flammis, qui non fecerat amicos de  
Mammona iniquitatis, & pauperibus nec micas  
quidem cadentes de mensa sua dabat; cætera ve-  
rò intermedia in hoc cap. 16. pronuntiata sunt à  
Christo, eo in loco, quo extant apud Matth. 6.  
& ibi à nobis sunt explicata tomo 2.

Homo quidam erat. Non dicitur vir, sed ho-  
mo, à natura corrupta, quæ in eo multis vitiis  
erat deprauata; & dicitur homo, ne iste veluti  
aliqua bestialis fera intelligeretur, nam qui ven-  
tri, ac gulæ tantum indulget, & clausa habet visce-  
ra ad suos fratres non homo, sed brutum animal  
reputatur, quod toto conatu de suis pascuis est  
solicitus; sic hunc epulonem pungit D. Chrysoct.  
homil. vnica. *Vbi diuitia, & feritas, ait, Leonem  
video non hominem: nobilitatem perdidit ignobilitate  
malicia.* Et dicitur de eo, vt notat Hugo.  
*Erat diues.* Per præteritum imperfectum, quia  
omnis qui finaliter non est bonus, imperfectè est  
diues; quia eius diuitiæ prætereunt, & pereunt.

1.  
Chrysoct.  
Maldon.  
Barradas.  
Cornel.

Connexio  
cum superio-  
ribus.

2.

Chrysoct.

Hugo.  
Opulentia  
cum ferocita-  
te non homi-  
nis, sed leonis  
est.

Diues dicitur, ait D. Bonauent. non solum pro-  
pter diuitiarum possessionem, sed etiam propter  
earum nimium affectum, ac delectationem, ra-  
tione cuius intractatur, ac prægrauatur spiritus,  
vt non possit peruenire in sublimia regna celo-  
rum, Matth. 19. num. 24. Et quamuis hic miser esset  
diues in temporalibus, tamen vt ait D. Fulgent.  
lib. de statu viduali cap. 9. *Pauper erat in multitu-  
dine diuitiarum, nudus in pulchritudine vestium,  
infirmus in sanitate corporis, famelicus in sanitate  
ventris.* Cum eius diuitiæ ei inferirent, vt æter-  
nas diuitias, æternam pulchritudinem, salutem, ac  
satiæterem perderet.

Bonau.

Marth. 19.  
Fulgent.

3.

Græcus.

Glossa.

Iacob. 5.

QUESTIO I.

An huiusmodi euentus Diuitis cum Laza-  
ro sit historia, vel parabola?

**P**ARABOLAM esse existimant D. Chry-  
soctom. 4. Homilia de Diuite, & Lazaro: vbi  
pauim parabolam dicit. Et hoc loco Teophy-  
lact. Titus Bostrenf. D. Gregorius Nazianz. in  
Carmin. de Parabolis Luc. Theophyl. Antioch.  
libro 4. Allegoriar. Euthymius quæſtionibus in  
Lucam.

4.  
Chrysoct.  
Theophyl.  
Bostrenf.  
Theophyl.  
Euthym.

Historiam esse docent Tertullian. lib. de Anima  
cap. 7. D. Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 22. D. Augustin.  
ferm. 227. de tempore. D. Irinæus lib. 2. cap. 62.  
D. Isidorus Pelusiota Epistol. 376. ad Cyrium.  
D. Gregor. homil. 40. in Euangelia. D. Chrysoctom.  
ferm. 124. D. Chrysoctom. homil. de Lazaro, & Diuite.  
Et hoc loco in Lucam. D. Ambros. Euthym. Ly-  
ran. Carthusian. Baron. in Annalibus. Et Lucas  
Burgens. Barradas, Cornel. & alij, qui omnes  
dicunt fuisse historiam, quæ paulò ante illud tem-  
pus, quo Christus prædicauit, contigerat; nomen  
pauperis exprimitur in litera, qui dicebatur La-  
zarus; nomen verò diuitis ex traditione He-  
bræorum refert Euthymius, qui dicebatur Ni-  
nenſis.

5.  
Tertullian.  
Cyrill.  
August.  
Irenæus.  
Pelusiot.  
Gregor.  
Chrysoct.  
Chrysoct.  
Ambros.  
Euthym.  
Lyran.  
Carthuf.  
Barrad.  
Cornel.

Euthym. Maldonatus, Menochius, Tyrinus  
existimant partim esse historiam, partim parabola-  
m, quod mihi est probabilius, quod nempe  
Diues, & Lazarus fuerint, & quod ille sepultus  
sit in inferno. hic in sinum Abrahamæ asportatus,  
historia est; Colloquium autem diuitis cum  
Abrahamo postulantis ab ipso, vt ad illum  
Lazarus mitteretur, qui gutta aquæ refrigeraret  
linguam eius, parabola adiuncta historia est; non  
enim miseri ex inferno sanctos rogare solent, nec  
de aliorum salute se solliciti exhibent, vt Diues  
erga fratres suos se ostendebat.

6.  
Euthym.  
Maldon.  
Menoch.  
Tyrio.

Quod



7. Probatu  
quod sit hi  
storia.

Quod ergo non sit mera parabola, sed etiam historia. Probatu. Primò; Quia Christus eam non vocat parabolam, nec similitudinem, vti facere solebat in alijs parabolis, sed eam proponit quasi veram historiam. Secundò: quia in honorem huius Lazari, vt sancti, & leproforum, vlcerosorumque patroni, multæ vestitæ varijs in locis extant Ecclesiæ, quibus annexa sunt hospitalia pro cura leproforum, vt testatur Baronius, & videre est in Roma, Olyssipone, Conimbrica, & alij locis. Tertiò, quia hic nominatur Lazarus. In parabolis enim cum sint ficta, nomina vera, & propria non solent apponi, & in nulla parabola Christus Dominus nomen aliquis proprium vsurpauit. Hoc argumento communiter vtuntur Patres, D. Chrysofom. homil. de hoc loco. Neque enim in parabola dicenda nomina sunt. D. Ambros. citatus. Narratio magis, ait, quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur, &c. Tertullian. allegatus. Et quid illic Lazari nomen, si non in veritate res est. Ex quo fundamento contra Hebræos, ac Hæreticos probatur librum Iob non parabolam fictam, sed veram historiam continere, cum illic nomina Iob, ac sociorum, & regionum describantur.

Baron.

Chrysof.

Ambros.

Tertull.

8. Maldon.

Quartò. Maldonatus, ait: Moderationis fuisse Christi, vt pauperem, quem laudabat, nominaret: diuitem, quem vituperabat, non nominaret, ne illi iniuriam faceret, & sibi inuidiam constare videretur: si enim parabola fuisset, in parabolis personarum nomina licuisset exprimere, non minus utique diuitem, quam pauperem nominasset, nullam in sicla narratione cuiquam facturus iniuriam. Pauperem, quem laudabat, nominat Diuitem, quem vituperabat, absque nomine introducit; nomen hominis crudelis, inhumani, ac iam in inferno sepulti non exprimit Christus, sed illi pepercit; discant à Christi exemplo prædicatores vt viuendum, eorumque, quorum correctio omnino desperata non est, nominibus notis, ac suggillationibus parcant, nec illis iniuriam, ac ignominiam inferre videantur.

Peccatoris  
publici nomē  
tacendum.

9.

Constitutata solemnitate Ieroboam Rex, Principesque populi Israël immolabant sacrificia idolis suis, missus est à Domino Propheta, qui Regem, ac principes increparet, diræque supplicia illis denunciaret, qui accedens loquitur ad altare dicens. Altare, altare, hæc dicit Dominus. Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsoforum, qui nunc in te thura succendunt. 3. Reg. 13. num. 1. Si Prop heta destinatur ad Regem, ac principes, coarguendo de sua iniquitate, ac abominatione, quæ in omnium oculis erat manifesta, nam aperte erant ipsi victimas sacrificantes, cur ergo non ad ipsos, sed ad altare dirigit sermonem Propheta? Verum est, quod eorum facinus in omnium oculis patebat. Tamen Dei Minister sic indignationem temperauit, aculationemque ordinauit, ac instituit; vt regis, ac principum nominibus silentio inuolutis, contra altare verba dirigeret, vt eorum famæ, ac honori aliquantulum parceret, ne lacerare, sed admonere videretur. Theodoret. quæst. 42. Ne sic, ait, quidem errantem eum despicit benignus, & clemens Deus, misit enim Prophetam, cui iussit, vt nihil ei diceret, sed altari. Pondera: Errantem, non despicit.

3. Reg. 13.

Etiam publi  
ci peccatoris  
nominis con  
sulendum.

Theodor.

10.

Cum Apostolus in Schola Corinthia pungeret hominem turpiter effectum; de quo scribens ait: Audiat inter vos talis fornicatio, qualis nec

inter gentes, ita vt uxorem patris sui aliquis habeat, 1. Corinth. 5. num. 1. Qui homo, vt notat Theodoretus in Præfat. eiusdem Epistolæ, erat vir nobilis, & insignis, cuius peccatum erat tam publicum, vt testibus non indigeret, vt notat D. Anselmus; tamen Apostolus illius nomen non exprimit, ne famam læderet, sed vt illius honori aliquantulum consuleret.

Corinth. 5.  
Theodor.

Anselm.

11.  
Ezech. 20.

Deus secretis  
corripit delinquentes.

Maldon.  
Cornel.

15.  
Gregor.

Ad populum errantem ait Deus per Ezechielem 20. num. 35. Adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi facie ad faciem. Cum Deus vellet accusationem, ac increpationem proponere contra populum delinquentem, non solum eum adducit in desertum, sed insuper ait, quod res sit tractanda facie ad faciem, quæ est phrasis maximè notatu digna, & idem valet, ac, vt dicunt Maldonat. Cornelius. Solus cum solis, sine arbitris, ne gentes videant penas, quas de vobis sumpturus sum. Ea est Dei benignitas, ac humanitas, vt nolit peccatores publicè traducere, & aliorum ludibrio exponere; sed secretò, & remotis arbitris corrigere solet.

QVÆSTIO II.

Quare miser Auarus pretiosa purpura, ac bysso induebatur.

VLTVS rerum apparatus concessus est à Deo huic misero, vt ait D. Chrysologus serm. 124. Certè, vt tantis diues bonus fultus Deo gratus esset. Nam etiam, vt ait Theodoretus lib. 6. de Proudient. Apertissimum defensionis campum haberent malitia operarij, si in hac vita diuitiarum thesauros solis iustis index ille distribuisset. Diuinus Magister intus, & in cute agnoscebat Iudam, quid veller, quid tentaret, quid raperet. Fur enim erat, & oculos habens. Ioan. 12. n. 6. & tamen nummos illi comittit ad dispensandum. D. Chrysofom. homil. 64. in Ioan. Vt omnem, inquit, tolleret proditoris materiam, ne conquereretur Iudas, si ab illis nummis esset exclusus.

12.  
Chrysol.  
Theodor.

Deus malas  
diuitiis afficit, vt cor  
gratos faciat.  
Ioan. 12.  
Chrysof.

13.  
Beda.  
Haymon.  
Bonauen.  
Hugo.

Primò. Respondent Beda, Haymon, D. Bonauen. Hugo. Purpura est regis habitus, seu rubi habitus e conchis marinis ferro circumcisus emissa; pisciculus latet inter conchas marinas, de cuius sanguine tingitur purpura, soli autem reges, vel imperatores hoc genere vestis vtebantur. Bysso, sicut dicit Beda genus est lini candidissimi, & mollissimi, & tantum nascitur in Agypto. Verba sunt Hugonis. Bysso autem ad illum candorem, ac tenuitatem multis cruciatibus, ac tunfionibus deuenit, vt latè describit Plinius lib. 19. cap. 1. Hoc genere vestimentorum magnates sæculi ad suam pompaticam magnificentiam, ac ostensionem componunt; Reges enim, principes, ac diuites ex paruulorum sanguine, pressura, ac vexatione vestiuntur, ac adornantur in suo cultu, ac apparatu. Vide supra cap. 9. n. 77. & n. 90. 91.

Plinius.  
Reges, ac  
principes ve  
stiuntur de  
sanguine paruulorum.

14.  
Hieron.

Iniquus in  
suis delitijs  
habet præse  
gium sua ad  
nationis.

Secundò. D. Hieronym. ad Iulian. Diuitem purpuratum, ait, Gehennæ flamma suscepit. Pro nimio suo ornatu, ac luxu purpura vtebatur diues; purpureus, ac sanguineus vestis color confimilis gehennali igni. Apre ergo non alio colore, sed purpureo vitur auarus, ac si in suis delicijs, ac delectationibus suorum tormentorum prælagium reportaret miser, purpureus eius apparatus suæ æternæ dānationis fructus indicabat.

Volens

Apoc. 17.

Tertull.

15.  
Gregor.

Ignobilis ex  
pompa vult  
nobilis repu  
tari.

Clem. Alex.

16.  
Psalm. 44.

Apoc. 17.

August.  
Hieron.

Nobilis de  
virtute, igno  
bilis de ex  
teriori vult  
magnus re  
putari.

Rupert.

Volens Angelus offendere Ioanni damnationem meretricis magnæ, ostendit ei mulierem, quæ circumdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, Apocalyp. 17. num. 4. Cur mulier, quæ ad sui damnationem, & mortem ibat, non ostenditur sacco vestita, sed purpura, & coccino, ac si ille nimius ornatus multam cognationem cum damnatione haberet, illiusque esset propheta? Tertullianus lib. de cultu fœmin. cap. 12. Illa ciuitas magna, ait, cum prostituta à Domino appellationem meruisset, quali habitu appellationi suæ comparata est, sed & certè in purpura cum coccino, & auro, quæ maledicta sunt, sine quibus non potuit maledicta describi. Preme vltima verba, sine quibus non potuit maledicta describi, quæ ignem futurum præfagiunt, & lasciuam præsentem indidant. D. Idorus Pelusiota lib. 1. epist. 74. Vilem, ait, Dei nostri vestitum imitare, nam mollities præfens lasciuia est.

Tertiò. D. Gregorius homil. 40. in Euangel. ait, Vestimenta pretiosa, nisi ad gloriam queris, vt honorabilior ceteris habeatur. Ampla purpura fulget Auarus, quotidiano splendide epulatur conuiuio multo cum apparatu, ad quid tanta rerum pompa in homine vulgari, ac particulari? Maximè nobilem, ac regium se ostentare affectabat miser, & ingenuitatem, quam natura ei denegauerat ex vestitum splendore exambiebat sibi vsurpare, vt honorabilior ceteris esse videretur. Decorem, quem ei natura non dederat, ex sumptuoso ornatu, ac splendida mensa sibi maturare intendebat, vt ceteris nobilior videretur. Narrat Clemens Alexandrinus lib. 2. Pedag. cap. 10. Quod Apellas cuidam è discipulis suis, qui Helenam multo auro ornata depinxerat, dixisset: O adolescens cum posses pingere pulchram, pinxisti diuitem. Sic multi cum non possint se pulchros reddere, decore virtutis, ac nobilitatis, diuitiis se volunt magnos ostentare.

Duæ mulieres describuntur in Scriptura ornatae, ac circumdatae auro; vna filia Regis, Psalm. 44. In vestitu deaurato, circumdata varietate, num. 10. & iterum: In subryis aureis circumamicta varietatibus, ibidem num. 14. Altera mulier illa meretrix in Apocal. 17. num. 4. Quæ erat circumdata purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso. Multa tamen differentia inter se discrepant huiusmodi mulieres; nam illa Psalmi suum splendorem non desumebat à vestitu: sed ab intrinseco. Omnis gloria eius filia regis ab inuis, seu vt legunt D. Hieronymus, & D. Augustinus, ab intrinsecus. At verò Babylonica meretrix ex ornatu, ac compositione exteriori maximè nitere, ac splendescere satagebat. Erat circumdata purpura, & auro habens poculum aureum in manu sua. Quanam huius rei ratio? Cum illa prima esset regis filia valde præexcellens nobilitate generis, omnium virtutum, ac donorum; non à vestitu, sed à suo intrinseco decore præillustis erat; at verò cum meretrix illa esset turpis, & infamis, fœdata omni turpitudine, ac vitio, cum qua omnes reges terræ fornicati sunt, à purpura exteriori deaurata exambiebat insigniri, ac nobilitari. Rupertus ad citatum Apocalypseos locum: Pulchre dicitur, ait, quia circumdata erat purpura: qua nimirum dicto vigilanter audientibus, ad animum reuocat, quanta in regali habitu, superbiorum sit vanitas, & extrinsecus namque pulchris speciebus colorari possunt, quarum vel optima videtur regia purpura, sed intrinsecus, vel subius eandem purpuram, non solim Sylucira in Euang. Tom. IV.

propter fluxam libidinem, vlcerosa: sed etiam per accidentium morborum genera diuersa misera, & tabida.

QVÆSTIO III.

Quare in argumentum damnationis huius diuitis dicitur, quod induebatur purpura, & bysso, cum his vitens mulier fortis laudatur?

MAXIME crimatur hic diues, quia induebatur purpura, & bysso. Et tamen mulier illa fortis, quæ maximè laudatur in Prouerb. 31. num. 22. Inter eius illustria encomia prædicatur. Bysso, & purpura indumentum eius. Cur ergo tale vestimentorum genus huic mulieri in gloriam, diuiti verò in vituperium credit. Cùm vtriusque idem videatur ornatus?

17.

Prou. 31.

Ratio diffi  
cultatis.

18.

Caieran.

Ad quæstionem respondeo. Primò ex doctrina Caietani ad nostrum textum: Peccatum luxus, ait, immoderato vestitu exteriori significatur: purpura enim regum, non cuiusque diuitis est. Primum in hoc diuite arguitur, quod cum esset: Homo quidam induebatur purpura. Erat quidam homo particularis, ac plebeus genere, licet diuitiis repletus: at mulier fortis multum præillustis erat. Nobilis vir eius, cum sederit cum Senatoribus. Erat vir eius ex Senatoribus, ac principibus ciuitatis. Purpura principum, ac regum vestis est, inde ornatus ille mulieri conueniens inueniebatur; improprietatis verò omnino auaro. Quilibet iuxta sui status conditionem componatur, ac exornetur, ex quo purpura in diuite crimen, in muliere verò laus. Vide supra cap. 22. num. 24. 25. & 26. & num. 109. 110. & 111.

Cuiuslibet  
vestis iuxta  
suum statum,  
& conditio  
nem.

19.

Quid significet  
bysso, &  
quid purpu  
ra?

Secundò. Vt respondeam aduerte, quod byssus, est linum quoddam valde candidum, & subtile, quod ad illum candorem, ac subtilitatem multas cruciatibus, ac tunfionibus peruenit, vt iam superiori quæstione ex Plinio notauimus; vnde communiter iassumitur, vt typus ieiunij ac macerationis carnis. Purpura verò indumentum regale, & inde per se indicat multum splendorem, ac felicitatem. Ezech. 27. num. 7. Quo supposito

Ezech. 27.

Ad quæstionem respondeo secundò, quod diues, induebatur purpura, & bysso. Interius habebat purpuram delectationis, ac iucunditatis, exterius verò byssum, seu quandam hypocritisim poenitentiae, ac mortificationis; mulier autem fortis sic vestiebatur. Bysso, & purpura indumentum eius. Interius bysso cilicij, ac cruciatibus accingebatur; exterius verò veste speciosa, ac nobili circumamicta apparebat. Qui autem poenitentiae habitus hominem oculis obicit, inerior tamen tunica blanda, ac molli vitur, ad damnationem properat; qui autem cilicia, ac saccos communi, & nobili veste tegit, in Christi schola versari videtur; qui non cilicino habitu, sed communi veste tectus: homines ad se trahebat, vt docet D. Chrysofomus homil. 12. in Matth. & probat D. Thom. 3. part. quæst. 40. art. 1. Vnde ipse cum ieiunaret, vt scribit D. Marcus 1. num. 13. Erat in deserto. Cur Domine id nõ agis in ciuitate

20.

Poenitentia  
occultanda.

Chrysof.  
D. Thom.

Marc. 1.

Z Z inter